


LVNÆ DIE 18 M. APRILIS A. 2005

A.d. XIV Kal. Maias a. MMV

I 25

M E L I S S A



FOLIA PERENNI LATINITATI DICATA

AVSPICIIS DOMVS ERASMIANÆ ET ACADEMIÆ LATINITATI FOVENDÆ

SEXIES IN ANNO EDITA

EDITOR RESPONSALIS
Gaius Licoppe

COMPOSITRIX
Francisca Deraedt

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan, B - 1040 Bruxellis.

Tel. + 32 (0) 475.47.55.18 / g.licoppe@skynet.be / <http://users.skynet.be/Melissalatina>

Bureau de dépôt : 1040 Bruxelles 4 / Afgifte kantoor 1040 Brussel 4

SALVE BARBARIES !

Mense Ianuario anni MMV Maria Arena, quam partes socialisticæ paulo ante fecerant publicam administram Educationis in Belgicæ Communitate Francophona, suum « Contractum strategicum pro Educatione » patefecit. Quod est eius consilium ? Efficere ut minuatur numerus discipulorum, qui cursum scholarem sequi non valent. Consilium laudabile ; manifesto enim systema scholare imperfectum est, cum non bene aptatum sit ad discipulorum diversitatem. ¶ Propositum tamen administræ non est systema scholare ad discipulorum diversitatem aptare, sed omnes discipulos cogere in uniforme systema scholare, ut tollatur hæc diversitas. Ad hoc propositum assequendum una tantum via exstat : difficultatem materiarum docendarum minuere et imprimis linguæ Latinæ institutionem suppressere. Nec administra suam voluntatem celat ; nam palam dicit se institutionem Latinam e discendis materiis expulsuram esse, si demonstratur eam favere optimorum discipulorum segregationi. ¶ Administra etiam universitarios consiliarios habet, inter quos Dominica Lafontaine, quæ docet in facultate psychologiæ et scientiarum educationis in universitate Leodiensi atque pro Communitate Francophona investigationes didascalicas curat ; nam, cum in hac Europæa investigatione PISA vocata, quam faciendam curavit. OCDE (Organizatio coordinationi incrementoque economico fovendo), notæ institutionis francophonæ in Belgica pessimæ essent, nova administra Maria Arena statuit magnam reformationem facere, quam exposuit in suo « Contractu strategico ». ¶ Consiliaria Lafontaine non timuit palam dicere hoc : « Impetrare non poterimus ut maior æqualitas in systemate educativo fiat, nisi obstemus parentum rationibus nimisæque libertati scholæ eligendæ ». Eadem duos gradus in puerorum educatione distinguit : primus gradus est tempus a quinto ad quartum decimum annum, quo eædem materiæ fundamentales ab omnibus sunt discendæ ; postea incohatur alter gradus, quem « qualificationis » appellat, ubi licet diversas materias docere et aliquam selectionem facere.¹ ¶ Administræ « Contractus strategicus » statim animos diversimode excitavit et multi sententiam suam patefecerunt. Syndicatus sinistri, quibus præsertim administra morem gerere voluit, die 24 m. Februarii nuntiaverunt hunc contractum 80 paginarum nimis indigestum esse, quin etiam sibi non consentaneum ; se ergo rem non commentaturos esse, sed suas expostulationes brevioribus verbis potius expressuros esse. Ad summam plus flagitant, quam proponit administra. Quæ enim suadet ut eædem materiæ, quas « truncum communem » vocat, et hæc tantum, in primo gradu cycli secundarii discantur, i.e. usque ætatem cir-

citer 14 annorum ; syndicatus contra truncum communem ducere volunt usque ætatem 16 annorum atque postulant ut ipsum programma scholare mutetur, qui conveniat « mentibus manualibus, artificialibus et physicis ». Præterea magistri præsertim sunt formandi ad discipulorum difficultates investigandas atque ad idonea remedia adhibenda.² ¶ Multo plures sunt ei, qui administræ proposita non probant, non solum seniores, sed etiam iuniores, ut studentes facultatis philosophiæ et litterarum Universitatis Liberæ Bruxellensis, qui sententiam suam in diario « Le Soir » divulgaverunt ; etiam in Flandria, cuius tamen institutio a Maria Arena non pendet, vituperatio divulgata est in actis diurnis « De Standaard », auctore Lovaniensi professore academico Rik Torfs. ¶ Pleraque argumenta pro scholari institutione linguæ Latinæ tam trita et pernota sunt, ut vix sint in memoriam revocanda. Nonnulla tamen sive sunt debilia sive tantum spectant ad certos populos ; Latine scire, exempli gratia, certe iuvat ad linguam Francogallicam penitus callendam, sed hoc argumentum non valet pro Flandris aut Germanis, apud quos tamen institutio Latina magis æstimatur et servatur, quam in Francogallia aut in Belgica francophona. ¶ Magis scitu digna est opinio Christiani Radoux, qui iam triginta annos scientiam mathematicam in Hannoniæ Montis Universitate docet. « Decursu horum triginta annorum, ait, tanta facta est institutionis inclinatio, ut in studiorum universitate instaurare debuerimus cursum mathematicæ elementaris et cursum æque elementarem linguæ Anglicæ ; mox sine dubio debebimus cursum fundamentalem linguæ Francogallicæ (v. *basic French*) imponere. Vidi alumnorum incultum ingravescere, propterea quod in regione francophona circulatorum educationis scientiarum (ipsi eas 'scientias' vocaverunt) institutionem exstinxerunt. Domina Arena, miraculo quodam administra Educationis facta, nititur in his halophantis ad remedium afferendum. Tollamus, ut suadet, reliquum excellentiæ (sed non in rebus athleticis, ubi excellere oportet, demagogiæ causa). Omnes cogantur in truncum communem usque ad sextum decimum annum, discipuli scientiæ cupidi cum perseverantibus ignaris, urbani iuvenes cum nebulonibus ! Ego autem ipse, humili loco natus, omnia bona debeo optimæ severæque institutioni, cui tunc partes socialisticæ favebant, et sportulæ studiis fovendis, quam eædem partes dederunt ab anno duodecimo ætatis meæ ; hoc tunc vocabatur 'Fundus ingeniosioribus deditus'. 'Horresco referens' (*Latine in textu Francogallico*), Domina Arena, quanta mentis mutatio ! »³ ¶ Marcus Wilmet, linguista et præses Consilii superioris linguæ

Francogallicæ, præter solita argumenta pro institutione Latina, dicit eam consuetudinem fovere inter populos, quorum sermo patrius est romanicus, et hoc iuvare ut dominationi Anglo-Americanæ resistent.⁴ Valde mihi displicet talis opinio, quam sæpius audivi; populi enim linguarum romanicarum multo ante Anglos et Germanos usum scientificum linguæ Latinæ reliquerunt. Lingua Latina non est instrumentum adhibendum ad dominationem Anglo-Americanam repellendam, sed est vinculum omnium populorum qui cultum Europæum participant. Hoc est summum argumentum pro Latinitate servanda et colenda, quod infeliciter in hac recenti disputatione nusquam legi. ¶ Quamquam multi homines exculi expertique proclamaverunt administræ proposita nefasta fore, quid illi possunt contra demagogos regentes, qui in plurimis parum cultis nitentes adepta omnipotentia abutuntur. Miram ætatem vivimus; scopus Ministerii Educationis Publicæ (iam non Institutionis Publicæ) non est pueros docere, sed eos educare, i.e. ad suum morem formare; quo modo tamen hydra tot capitibus prædita, ut est regimen, sane iudicare et statuere potest de puerorum educatione? Non defuerunt, etiam recenter, regimina totalitaria, ubi præcipuus institutionis scholaris scopus erat regiminis ideologiam iuvenibus inculcare; quamquam effectus huiusmodi tyrannicæ institutionis fuerunt perversi, eadem nunc instat, vi quoque imposita, etiamsi formæ democraticæ respiciuntur. ¶ Demagogi mirum vocabulum recenter finxerunt, « elitismum », i.e., secundum lexicum Larousse definitionem, systema ingeniosioribus favens, cum plurimorum detrimento. Cum ipsum vocabulum, tum eius definitio est perversa. Magis erudire pueros, quibus est idoneum ingenium, sive sunt humili sive altiore loco nati, non solum ceteris nullo est detrimento, sed insuper est sola via ad aliquam æqualitatem adipiscendam, quantum sinit natura humana. Dedecet ingeniosos discipulos impedire ne quam optime erudiantur; nonnullos, qui in schola inter malos discipulos tædio extenuabantur, nosmetipsi vidimus subito reviviscentes et florentes in nova schola, ubi inter bonos discipulos multas arduasque materias addiscebant. Civitas, quæ suæ iuventutis florem opprimit, redit ad barbariem. « Elitismum » potius vocanda est condicio eorum ambiciosorum politicorum, qui, demagogice « electi », sine verecundia hoc solum curant, ut commodis potentiæ quam diutissime fruantur. ¶ Regimen Belgicum monopolium scholare sibi arripuit; cum institutionem gratuitam præbeat, sibi licentiam arrogat eadem programmata omnibus scholis imponendi, id quod commodum est, cum hoc modo omnis qualitatis competitio impe-

diatur. Agitur re vera de falsa gratuitate; vectigalibus enim parentes institutionem alunt, quare improbum est eos impedire ne optimam institutionem pro suis liberis eligant. ¶ Nec tamen « rabies æqualitaria » administrationis scopum suum attinget; cum impecuniosi discipuli impediuntur ne bona institutione fruantur, tum pecuniosi parentes privatas lectiones suis liberis præbebunt eosque in extraneas regiones ad studia perficienda mittent. Propter fallacia promissa ambiciosorum politicorum, magis magisque iacebit civium cultus atque augebitur discrimen inter pauperiores et ditiores. Salve barbaries! ❧

Gaius LICOPPE

-
1. In actis diurnis *Le Soir*, die 12 m. Februarii editis (p. 46)
 2. In actis diurnis *Le Soir*, die 25 m. Februarii editis (p. 8)
 3. In actis diurnis *Le Soir*, die 15 m. Februarii editis (p. 15)
 4. In actis diurnis *Le Soir*, die 15 m. Februarii editis (p. 15)

Christianus Laes et eius discipuli Latinitatem vivam colentes in collegio Sancti Michaelis (lege p. 3).



QVID RARI AGATVR IN COLLEGIO SANCTI MICHAELIS

Ante paucas septimanas Franciscæ mihi que contigit Collegium Sancti Michaelis invisere, quod in oppido Kapellen prope Antverpiam anno 1931 exstructum est ab ordine Hubertinorum. Illuc nos invitavit Dr Christianus Laes, Melissæ sodalis optimusque amicus, qui non solum rite et regulariter linguam Latinam docet, sed etiam ante duos annos optivum cursum Latinitatis vivæ ibi instituit.

Idem nos comiter accepit in atrium, ubi collegii historia nonnullis imaginibus inscriptionibusque narratur. Collegium nunc constat e compluribus ædificiis, ubi erudiuntur mille et quingenti discipuli discipulæque, quorum sescenti pertinent ad cyclum primarium et nongenti ad cyclum secundarium. Christianum secuti sumus per hunc labyrinthum, in itinere admirantes lautos andrones parietesque immaculatos. Frequentes discipuli, quibus occurrimus, neque turbidi, neque tumultuosi erant.

Ecum intravimus, ubi alios linguæ Latinæ magistros convenimus. Inter prandium de institutione interrogavimus. In initio cycli secundarii discipuli dividuntur in septem classes, e quibus quinque institutionem Latinam quinarum horarum hebdomadaliū habent. A secundo anno lingua Græca docetur quaternas horas; eam plerique Latinistæ eligunt, sed aliæ possibilitates præbentur, sicut lingua Græca una cum validiore matheseos institutione. Notandum est linguam Latinam vel Græcam ipsam doceri, non, ut alibi magis magisque fit, cultum antiquorum Romanorum Græcorumque.

Hora duodecima et dimidia singulis Mercurii diebus incohatur prælectio Latinitatis vivæ. Christianus nos duxit ad classem ubi nos iam exspectabant decem discipuli discipulæve, non omnes eiusdem anni, sed ad tres ultimos annos pertinentes; una e magistris etiam adesse solet. In prælectionibus suis Christianus adhibet librum c.t. « Piper salve », (auctoribus Roberto Maier, Mechtilde Hofmann, Nicolao Sallmann, Sabina Mahr, Sascha Trageser, Dominica Rauscher, Thoma Gölzhäuser) quo res cottidianæ tractantur. Hoc autem die propter nos res fiebant extra consuetudinem. Christianus singulos præsentés invitavit ad se ipsos præsentandos, id quod etiam iuniores discipuli facile fecerunt; de mendis statim monebat magister. Unus discipulus ultimi anni narravit se mox diem natalem celebraturum esse atque donum singulare a parentibus petivisse, sumptus scilicet Symposii Sallentini nostri, quod valde cupit participare. Puella tertii anni dixit se ipsam voluisse linguæ Latinæ studere, quamquam parentes id non fecerant.

Discipuli etiam scripta afferre solent; Catharina

Schellen (15 annos nata) sensus suos carminibus exprimit:

DESIDERIUM MEUM
volo animum meum
libenter complere
dolore tuo
si deinde
non jam
debeas dolere

summos digitos volo
ita mulcere ut
dolor vetus tuus
omnino convalescat

quia cum
fortuna tua
oculi tui
mutant
et color eorum
obscurior fit

olim
videbuntur nigri
et tum carebo
te cottidie

Alii iocantur, ut Fridericus Peeraer et (iterum)
Catharina Schellen:

Sanctus Petrus ante portam cæli stat et animos ascendentés expectat et Iesum ambulare videt. Eum clamat et rogat: « Paulisper portam custodire possis? Quia ad tabernam ire debeo. » « Evidenter, ait, quid faciam? » « Non difficile est. Rogare debes quid homines fecerint quando vivebant. Deinde statuere debes an aditum ad cælum meruerint. » « Simplex est! Portam custodiam. » Igitur Iesus ad portas manet dum Sanctus Petrus abest. Subito homo vetus venit. Iesus eum clamat et rogat: « Quid munus tuum erat? » Homo respondet: « Faber eram. » Iesus vitæ suæ prioris meminit et quæstionem secundam rogat: « Familiam habebas? » « Ita, ait. Unum filium habebam sed eum perdidit. » Iesus magis scire vult: « Aliquid plus de eo narrare possis? » « Ita, hiatus in manibus et pedibus habebat. Eum feci adeo, ut similis mihi esset. Eum non generavit mulier. » Iesus flet et susurrat: « PATER ?!!! » « Pinnokio, esne tu ?!!!! »

Valediximus læti; adhuc exstant scholæ, ubi discipuli validis studiis fruuntur et magistri sunt felices...
Quousque? G.L. ❧

ALAUDÆ ITERVM CANTANT

- refert Volfgangus Jenniges -

Eximii Monacensi in Academia præceptoris, præclari Latinitatis et vivæ et veræ cultoris, Valahfridi [Wilfried] Stroh, cura atque opera in lucem sunt denuo prolati fasciculi quidam Latini, quos inter annum 1889 et 1895, quo supremum obiit diem, in Italia ediderat vir doctus Carolus Henricus [Karl Heinrich, Italice Carlo Arrigo] Ulrichs Friso :

*Alaudæ. Eine lateinische Zeitschrift 1889-1895 herausgegeben von Karl Heinrich Ulrichs. Nachdruck mit einer Einleitung von Wilfried Stroh*¹.

Qui vir, minus quidem etiam doctioribus hominibus notus, anno 1825 in Frisia orientali, quæ ad regni Hannoverani, quod tum erat, spectabat partes, natus, Gottingæ anno 1846 inter academicos iuris doctores est promotus². Postquam quod potissimum sibi vindicandum et evincendum iuris peritus proposuerat, illos videlicet quibus Venus arridet virilis ne legum poena ligaret neve humani iuris gravaret culpa, in Germania assequi non valuit³, munere deposito anno 1880 uberioris libertatis cupidus patriam reliquit⁴ atque in Italiam, Aquilam in Vestinis, migravit⁵. Illic anno 1895 obiit et sepultus est.

Non minimum profecto Ulrichii in hoc est meritum, quod, ut par est, et emendatum (plerumque quidem⁶) et satis elegantem adhibet sermonem, quo non solum illos allicere valeat, quos, cum inconsideratus iure pigeat atque indoctus Romanorum linguæ usus, ipsa quidem iuvat et delectat Latinitas, verum etiam reviviscentis adeo extiterit eiusdemque veri nominis Latinitatis auctor, ut non plane immerito (ut verbo Valahfridi Monacensis utar) illius exercitus, qui, veluti tesseram, « Latinitatis vivæ » nomen suis inscribit vexillis, ut hoc signo vincat, « signifer » nuncupetur.

Præcipuum Ulrichii nostri studium ad poësin spectabat, itaque non exigua fasciculorum pars e carminibus constat, quæ sive panxit ipse sive ex aliorum fonte hausit. Multæ etiam insunt narratiunculæ soluta oratione simpliciter at festive conscriptæ de fasciculorum vicissitudinibus, de variis quæ tum in orbe acciderant rebus, de Latinitatis provehendæ inceptis et somniis atque epistularum et nuntiorum ab aliis varie missorum relationes : erat enim hoc Ulrichii propositum, ut ex omni orbe homines Latina denuo inter se uterentur lingua.

Nonnulla heic iuvat referre quæ et Latinitatis et ingenii Ulrichiani sint documento.

Initio exemplo hæc sit haud illepidi strophæ⁷, prima pagina posita, quæ inscribitur « Pæsti in templo

Neptuni. » (e fasciculo n. 1, m. Maio anni 1889) :

« Mæret hoc fanum. Domus est relicta.

Non venit, qui sacra ferat, sacerdos.

Et mihi Divum videor videre

celsa sepulcra.

O levis circumvolitans hirundo,

Sola tu templo super es fidelis ?

Quid canis ? – Magnis cano de columnis

interituris. »

p. 38 (e fasciculo n. 5, m. Augusto anni 1889) :

« Paulum afuit, quin de cælo tactus sit Alaudarum lector illustris. Morabatur ille die 13 Iulii in castello, sito ad ripam cærulei lacus Brigantini. E cuius uno conclavi ostium ducit egredientem in parvam ambulationem, quæ jam pars est contigui viridarii, a pluvia defensam tecto pensili, levibus columellis sustentato. Sub quo tecto ille ambulavit, cum, tempestate coorta adductisque nubibus, paucos passus procul ab eo cum magno tonitrus fragore cecidit fulmen. Feliciter evenit, ut ipse servatus sit illæsus. Perculit ictus arborem. A qua delapsi fulminis vis ita evertit solum, ut duo foramina ruperit arborisque radices nudaverit. Simul globus igneus conspectus est juxta arborem super cæspite, ardens et flagrans, qui in aërem se sustulit crepitansque evanuit. Per aliquot temporis partes secundas is visibus se præbuit. »

p. 39 (e fasciculo n. 5, m. Augusto anni 1889) :

« Apud tumulum adolescentis.

Pulcher eras nimium. Donum ferale venustas.

Sæpe sibi tales invida Parca legit.

Vos huc sevit amor, tenera vos fronde cupressi ;

et crescetis ; bumum lacrima multa rigat. »

p. 105-109 (e fasciculo n. 14, m. Octobri anni 1890) :

« Somnium transalpinum.

In umbra noctis alatus Phantasus in auras me rapuit. Per nubes me in longinquum portavit. Vidi ex alto nivea culmina Alpium. Ad ripas Istri me tulit, in aulam magnam, repletam spisso conventu septem nationum. Ecce, introiit vir augustus, venerandum Cæsareum caput, cum summis civitatis rectoribus. Septem populi assurrexere. Coram convocato septem populorum cætu ille solemnem habuit orationem, qua auspicia sua daret indictis communibus eorum comitiis.

At res mira et vix expectata. Orationem dixit Latine. Quam ingens populorum secuta est acclamatio. Etiam

acclamantium voces esse Latinæ videbantur.

Miratus sum. Sed dux meus : Quid stupes ? Nonne Stockholmiæ d. 7 Sept. 1889 rex Oscar⁸ orationem habuit Latinam omnisque cætus eum intellexit ? Nonne nuper Berolini Latine locuti sunt Baccelli Italus, Virchow Borussus, Aretæus Græcus⁹ ? Nonne toto choro plaudente ? Cur non etiam Cæsar Latine loquatur ?

Dum colloquimur, en, accedit ad nos unus illorum, qui e sellis assurrexerant. Mirarisne, inquit, comitorum imperii nostri linguam linguam esse Latinam ? At plus quiddam habemus. Legislationis quoque lingua, decretorum, rescriptorum, breviter : lingua publica civitatis nostræ omnis facta nunc est Latina. Cessit Latinæ Germanica. Studuere ei paulo magis quam antea Cæsaris ministri, civitatis rectores, administratores, procuratores, officiales. Studuimus ei et nos, septem populorum mandatarii electi. Sic facta res est et absoluta.

Haud erat ita arduum id cæptum. Ante erat studendum 6 populis, ut loqui scirent in hac aula unum solum verbum, Germanicæ. Nunc student Latinæ. Quid refert ? Et quicumque inter nos Germanus est, nonne studuit ante Gallicæ vel Anglicæ ? Conversum tantummodo nunc est studium in aliam linguam. Et inter nos electos interque senatores quot sunt, quin jam ante illius non prorsus fuerint ignari ? Nonne plerique nostrum didicere Latine quondam in schola ?¹⁰

Jam quoniam in aula hac legifera loquimur Latine, nemo in eam amplius eligitur, quin sciat Latine.

At, objeci, nonne limite ultra modum arcto circumscripta sic est populis vestris libertas eligendi ? Vos enim omnes, populi 7, pariter sic cogimini eligere eos, qui lingua utuntur non vestra.

Ille. Dixisti bene : pariter. Isto enim modo circumscripti ante erant Bucovinenses, Dalmatæ cæterique populi 4, coacti eligere eos, qui uti sciebant Germanicâ. Cives Austriæ Germanici a simili onere exempti erant. Fruentes privilegio quemlibet popularium suorum eligebant. Par nunc conditio cunctorum.

Et grammaticæ Latinæ labyrintho non deterremini ? rogavi collocutorem meum velut Britannicus 'interviewer'.

Labyrintho ? Germanica nobis multo nodosior. Aliquantulo studii, concedo, opus est. At utinam novisses, quam multa faciantque ferantque nostri spiritus ambitiosi et tenaces, affectatores honorum, ut obtineant sellam in aula legifera ! Ut sudant et algent ! Sic nunc alacriter se accinxere rei inusitate : studio. Noctu dieque incumbunt super verbum 'sum fui esse', ablativum absolutum, super conjunctiones ut, ne, quo, quin, quominus. Si vires deficere incipiunt seu somnus obrepit, spe adipiscendæ sellæ expergefiant, spe incitantur, spe reficiuntur.

Ego. Et mihi licet, hæc quæ dixisti proferre in lucem ?

At cuncta ! Gymnasium, quod nonnullis jam ager sterilis esse videbatur, nunc fructum fert egregium.

Affluunt discipuli catervatim.

Tu forsitan ignoras, in concilio Vaticano anni 1870 episcopos nostros longe præluxisse cæteris loquela Latina. Quantum vibravit et fulminavit Latine ille Strossmayer, Christianæ suæ dignitatis adeo immemor, ut calefactus in verba eruperit : Per deos immortales ! Ecce tam laudabiles jam fecere progressus electi nostri, ut cæperint expeditissime erumpere in eadem verba cum ardore vere Strossmayeriano.¹¹

Certe, si quid mansit usus asperioris, et parvi momenti est et in annos sensim decrescet. Paucis annis elapsis evanuerit.

Præsidi nostro ad latus addidimus censorem cum potestate monendi. Si quis orator nimis oblectatur grammaticæ : Abi, ait ille ; recede de rostris. Fac pacem cum patre Prisciano.

Cæsari optima nota est. Est etiam ei lingua gratissima.

Inchoavimus rem a monetis, verbis imperativis militaribus, rebus postalibus. In bis enim linguam Latinam censuimus statim posse adhiberi vel celerius. Arrisit nobis eventus. Loquitur quidem corpus juris de simplicitate armatæ militiæ. At hæc non est ea apud milites nostros, quin statim didicerint pauca verba Latina, iidem qui ante edocti erant pauca verba Germanica.

En, inquit, protrahens e pugillaribus mibique ostendens epistolam. Fortasse nondum vidisti novas tessellas postales Austriacas. Epistolæ agglutinata tessella habuit aquilam bicipitem, supra quam meis oculis legi : Imp. reg. posta Austr.

Quam delectaretur hac, mecum dixi, lector ille Alaudarum, qui signa postalalia colligit. Si necopinanti eam mitterem ! Et efflagitare eam cæpi.

Cæpi ; nam repente os mihi præclusit importunus famulus postalis. Hic introiens in cubiculum meum me expergefecit. Vix compescui fastidium, dum epistolas apprehendo, quas tulit. Inter quas uni agglutinata erat tessella, quæ et ipsa bicipitem mihi ostendit aquilam. Avide ejus inspexi inscriptionem, ut iterum quod videram viderem et ut nunc saltem mitterem lectori rem tam raram.

At quo me malus abstulerat error ! Deceptus eram. Legi, quod legere soleo : Kais. Kon. Oest. Post, non : Imp. reg. posta Austr., quantumlicet manifesto nunquid hæc conspexerim hoc ipso temporis vestigio. Quicquid narravi, ludibrium fuisse vidi pulcbri quidem et alati, sed inveterati falsarii, mendacis Phantasi. »

p. 231-232 (e fasciculo n. 24, m. Iulio anni 1892) :

« Romæ 20 & 25 Apr. 1892 archæologi de Rossi solem-

niter actus est natalis. Die 20 Apr. marmoreus ejus herma inauguratus est in museo, superstante catacombis Calixtianis. His enim ille explorator fuit et ipse adeo detector. Conciones habitæ sunt 5, inter quas una Latine a V. Rev. Antonio de Waal¹² e collegio nominis Latini : Collegium cultorum martyrum.

Die 25 Apr. solemniter at [ac ?] laute cœnatum est a 142 viris doctis, Hispanis, Prussis, Italis, Gallis, Austriacis, catholicis mixtim cum acatholicis. Salutatio convivialis prima Latine prolata est, sublato poculo, a cardinale Parocchi¹³. Latine scriptus erat index ciborum. Cujus exempla lithographice, ut ajunt, exarata erant 142. Quem diurna Romana non retulere. Sed Alaudis benigne missum est unum ex istis 142 exemplis, quod cœnæ ipsi interfuit. Leguntur hæc :

Collegium cultorum martyrum. VII Kal. Maias a. MDCCCXCII ob natalem LXX magistri nostri Ioan. Bapt. de Rossi¹⁴ læti et bilares sodales epulemur. Habe(bi)mus in cœna – jus cum parvulis crustis – pastillos carnis et farinæ subactæ – lumbos vitulinos cum pisis – pullum jure coagulato conditum – piscium et pullorum pultem – dulciaria – caseum et mala – vina Italica – potionem ex faba Arabica. Sic VII sic VIII decennalia feliciter. – Dom. Lith. Al. Salomone Romæ.

Dom : nomen convivæ [...]

Nec solum promissa fuisse videtur, inanibus verbis, hilaritas, sed etiam exercita Anacreontice. Cujus rei duo saltem testes adsunt, haud spernendi : duæ guttæ rubri nectaris, quibus exemplar illud humectatum fuit. Exstant enim adbus sub oculis meis vestigia. Alterum rotundum, ut videre tibi videaris lineamentum geographicum lacus Vulsiniensis ; alterum simile sinui Botniaco in regionibus septentrionis. »

p. 262 (e fasciculo n. 26, m. Februario anni 1893) :

« Nonnulla de conventu habito Oct. 1892 in oppido Hispaniæ Huelva¹⁵ in memoriam Christ. Columbi. Ibi vir clariss. Macé, Parisius, invito fere præside, locutus est Latine¹⁶. Sic ipse scribit Alaudis : Affuere viri e Lusitania, Gallia, Italia, Britannia, Danimarca, Germania etc., ex America et septentr. et australi ; et in concionibus suo quisque usus est sermone. Dii boni ! Quot linguæ ! Nemo saltem, gratias Superis, Turca usus est vel Russa. Scripseram ego commentationem Gallice. Quam, audita hac silva linguarum, illico verti Latine et Latine recitavi. Argumentum erat : America num casu fortuito reperta sit ab ignotis nautis longe navigantibus, an ex industria a Columbo ? At præses, vix mihi credes, bis me interlocutus est. Tu uteris, inquit, domine, lingua, quam nemo nostrum intelligit. Festina, festina ! Fuere

tres vel quattuor, qui objicerent, jure meo me loqui Latine. Quippe me patientem præbuisse aurem loquentibus Germanice, non intellectis mihi. Nihilominus vix mihi licuit, ad finem opusculi mei usque pergere. Quam nemo nostrum intelligit ! O Naso, memor eram tui ! Tui, exulis quondam apud Tomitanos ! Tui, exclamantis : Barbarus hic ego sum, qui non intelligar illis. Esse mihi videbar degens inter Tomitanos Naso.

Hæc ille. Nonne docet pulchre Huelva, indigere populos unius linguæ communis ? »

p. 388 (e fasciculo n. 33, ultimo, m. Februario anni 1895) :

« Oppida vel oppidula nomine Aquila non minus tria exstant, præter hoc Aprutianum alterum in regione Padi superioris, alterum in Helvetia. In Hispania exstat Aquilas, in litore Austriæ Aquileia. Nuper ex America hic affuit epistola inscriptione parum legibili, de qua me consulere iussus est tabellarius. Inscriptione perspecta, respondi : Aquilas. Islas Canarias. Si quis igitur scribat ad me, cupiens epistolam suam diu errare per terras et maria, nisi Aquila nil ei inscribat. »

Finem hi faciant versiculi e « Cupressis » deprompti (e Carminibus in memoriam Ludovici II Regis Bavarici¹⁷, ed. Berolini, a. 1887, p. 5) :

« Villa Regia Berg.

Murmurat unda canens. Sonat, et sua littora pulsans volvitur ad flexas leni cum carmine ripas.

Murmurat unda QUIES. REQUIES levis unda susurrat. Num fortasse tibi sua mollia murmura fundit ?

Spuma sonans crispis allabitur alba coronis, de tacito cantans somno mitique sopore.

Stat lacus, ex alto fulgens et ab æthere tinctus, cæruleo condens arcana silentia velo.

Nansque lacu, liquidis canit humida Nais in undis : HIC EST PAX. Canit unda : VENI ! Audisne ? VENITO ! HIC PATET AD LETHES OBLIVIA JANUA CORDI. HIS SUB AQUIS ITER EST. Audisti. Cærulea linter ad libertatem sic fuit unda tibi. » ❧

1. [Hamburg], MännerschwarmSkript Verlag, [2004], XX+426+(2) pp. Paginis 409-426 potiorum vocum adicitur index a VOLFRAMO SETZ compositus.

Præmittuntur p. v-xv VALAHRIDI STROH prolegomena. Ipsæ fasciculorum paginæ sunt ex vetere exemplo lucis ope denuo redditæ. ISBN 3-935596-52-9. Qui liber 60 nummis Europæis venalis prostat. Ipsius docti Valahfridi in Ulrichium prolegomenis nonnullisque aliis fontibus heic usi sumus.

2. Inscribitur eius opus, quod 65 paginis est absolutum : *Fori reconventionis*

[= *appellationis, provocationis*] *origines et doctrina* [de vocabulo minus probando « reconventionis » adhibito ipse disserit p. 5]. Exemplaria huius scripti in variis bibliothecis academicis adservantur, veluti Dresdæ, Friburgi, Tubingæ, alibi. Sequebatur anno 1848: *Pax Westphalica quid constituerit de principum jure reformando religionisque exercitio subditorum*, regiæ Berolinensi Academiæ propositum. Quod opus deperditum videtur.

3. De hac re in ipsis *Alaudis* p. 355-358 queritur.

4. « Eversa patria, cosmopolita factus sum », ut ipse dixit, p. 350.

5. Quod turbidum rerum et hominum meridianorum studium fuse tractat vir doctus ROBERTUS ALDRICH, *The seduction of the Mediterranean* (Londini et Novi Eboraci 1993) (de Ulrichio breviter ibidem p. 109-110). Cf. etiam STROH, libri laudati ex prolegomenis p. VI et VIII-IX.

6. Diligentiores Ulrichii lectores profecto non fugiet nonnulla minus probanda interdum adhiberi vocabula (cuius rei et quæ sequentur pauca præbent exempla). Hæc quidem, ad copiam verborum quod spectant, (ne plus æquo putidi videamur !) eo facilius admittuntur vitia, quo fidius, quod inter omnes scriptores primam fert et principem notam, antiqui Romanorum sermonis ornatum et in verbis singulis et in verbis coniunctis, edicendi videlicet modum et verborum coniungendorum leges et consuetudines, mentem, inquam, sermonis et proprietatem, quod *idioma* Græco vocabulo dicitur, in scribendo respiciebat Ulrichius. « Accedit rara hilaritas et urbanitas, qua ieiunum quoque argumentum sæpe ita condit, ut totum opus quasi perpetua festivitate vigere videatur » (STROH, in opere laudato p. XIV).

7. Secundum systema quod dicitur Sapphicum instructa. Quem venustum pangendi modum in plerisque strophis Ulrichius noster est secutus.

8. Rex Suetiæ (1872-1907) et Norvegiæ (1872-1905) Oscar II, n. 1829, ob. 1907. Operæ forsitan pretium esset hanc orationem ante quosdam rerum orientalium peritos habitam iterum e regii tabularii latebris evocare.

9. In ipsa nova fasciculorum editione quamquam nulla apponitur nominum explicatio, neque multa nos ipsæ docent *Alaudæ*, conicere licet Ulrichium heic de quodam medicorum conventu egisse. Rudolfus [Rudolf] enim Virchow (1821-1902), ex Borussiae provincia Pomerania ortus, præsertim in anatomiam incubuit atque medicus publicus in variis inquisivit populorum et ordinum condiciones, quas sociales vocant, quibusque morbi solent exoriri. Vido [Guido] Baccelli medicus Romanus (1832-1916) Latine anno 1876 scripsit *De primitivo splenis carcinomate*. Innotuit præsertim anatomix studio atque nervorum rigoris sive tetani curandi modum invenit. Quis fuerit Aretæus Græcus eruere non valui [idem vir in *Alaudis* p. 116-117 laudatur] ; exstat profecto medicus antiquus nomine Aretæus e Cappadocia ortus (fl. s. II p. Chr. n.) qui primus *diabetem* quem *mellitum* vocant descripsit ; mirandum tamen esset illum eo tantum consilio ad XIX usque sæculum superfuisse, ut Berolini *Latine* loqueretur !

10. Heic, ad nostra quod attinet illitterata tempora, iacet nodorum nodus, quo quin ad frugiferum et fructuosum hoc dulce *somnium transalpinum* ducatur effectum via præcluditur atque impeditur. Vix enim ipse alatus Phantasos eam inveniat apud nostrates civitatem, cuius scholæ et senatores et principes, quin etiam grammatici, Latine linguæ non fuerint prorsus ignari.

Conferantur quæ hisce in fasciculis *De Latinitatis vivæ provehendæ viis et ratione* antea (n. III, anni 2002, p. 2-4, præcipue sub finem) disserui. – Est autem Latinitas, veluti quælibet quæ non (iam) ore æqualium, sed scriptis monumentis innotuit atque traditur lingua, non *colloquentium* potissimum,

sed litterarum præsidium atque instrumentum, *scribentium* videlicet et *scriptorum* quasi gemmarum thesaurus et receptaculum. Quare usu nimis vulgato nimiumque libero : germanæ neque ascitæ nativorum locutorum loquelæ sæptis perpetuo revulsis, nonne maius ipsa captura sit Latinitas detrimentum iure meritoque a viris bonis quæsitus est. Quibus in adiunctis portentosum profecto ipsi Latinitati evasit non paucorum eiusdem qui nunc dicuntur fautores in aureum sermonem probatosque scriptores fastidium, quin immo mirum et inauditum in eorum imitatores odium. Caveant igitur, si quid in litterarum re publica valeant, caveant consules !

11. Iosephus Georgius Strossmayer, origine Germanus, anno 1815 in Slavoniæ oppido Essegg (Osijek) natus, anno 1905 episcopus Bosniensis seu Diacovensis et Sirmiensis mortuus est. Inter synodum Vaticanam (1869-70) Latinus exstitit orator eximius definitionique, quæ est de Romani Pontificis infallibili (quod theologi vocant) magisterio, diu obstiit. Slavorum meridianorum nationis studio favit idemque plurimum auxit.

12. Antonius de Waal Germanus (1837-1917), sacerdotio auctus Collegii Teutonicum in Urbe rector fuit atque Germanorum et Batavorum ecclesiæ, quæ ab « Anima » dicitur et divæ Deiparæ Virginis est dicata, diu præfuit. De antiquitatibus præcipue christianis in Urbe investigandis et eruendis optime est meritus.

13. Lucidus Maria Parocchi, Mantuæ æstate anni 1833 natus, per varios annos (1877-1882) Bononiæ archiepiscopi munere est functus, anno 1877 sacra purpura ornatus, inde ab anno 1888 curiæ Romanæ administrandæ adscriptus, anno 1903 ineunte supremum diem obiit.

14. Ioannes Baptista de Rossi Romanus (1822-1894), philosophus et iuris peritus, christianis præcipue antiquitatibus in Urbe et reliquis Italiæ partibus perscrutandis atque ab oblivione vindicandis maximo merito studuit titulorumque antiquorum exstitit strenuus investigator et editor notissimus (e.g. *Inscriptiones Urbis Romæ Latine*, Berolini 1876). Per totam Europam in musea et bibliothecas permulta fecit itinera atque cum variis viris in litteris et rebus gestis perdoctis, veluti cum Theodoro Mommsen, amicitia erat firmissima coniunctus. Ipsa anno 1870 Urbe spoliata nullis potuit vir probus illecebris induci, ut eversa re publica publico fungeretur officio, atque meri

« scriptoris » in Vaticana bibliotheca munere contentus placide ac studiose vixit. Catalogos quos vocant bibliothecæ Vaticanæ codicum manu scriptorum propria manu Rossiana scite accurateque conscriptos atque exaratos quibus in illa bibliotheca lector grato semper evolvet animo.

15. Quod Bæticiæ oppidum aptius hic Latino suo nomine « Onuba » appellaretur.

16. Fortasse agitur de Ioanne [Jean] Macé (1815-1894) qui pædagogus inter Gallos innotuit. Nomen autem præsidis misericors Historia plane reticuit.

17. Rex Bavarix Ludovicus II, e domo Wittelsbach (n. 1845, r. 1864-1886), die 13 m. Iunii a. 1886 dubio arcanoque, qui fertur, casu perierat Starnbergensibus aquis miserabiliter submersus. In eius eiusque fratris Ottonis dementis locum eorum patruus successit princeps Leopoldus (*1821), qui annis 1886-1912 regis Ottonis (!) instar res publicas in Bavaria prospere moderatus est.

BEATRIX ET EIVS AMICI (II)

SIVE DE VITA COTTIDIANA QVARTI DECIMI SÆCVLI

– scripsit Francisca Deraedt –

Mons Alionis est vicus vere parvus. Non est munitus, sed, cum in summo colle sit castellum, incolæ semper possunt, si quod imminet periculum, pone eius muros refugium invenire. In ipso vico est ecclesia atque, iuxta cœmeterium, capella Virgini dicata; utraque structuræ romanicæ. Homines vivunt simpliciter. Vix est pecunia, sed ea non videtur valde necessaria: homines inter se commutant lignum, instrumenta, cibos, mulos. Neque est mercatus, neque faber ferrarius, neque vestifex. Sed est popina: quam tamen homines non adeunt ut bibant, neque ut colloquantur, sed solum ut vinum emant.

Divites non sunt multo ditiores quam pauperes, neque nobiles ceteris multo nobiliores. Præcipuum signum opulentia est furnus: si quis domi habet, æstimatur. Qui non habent, pastam suam domi subactam ferunt ad fortunatiorem vicinum. Omnes cum omnibus sunt societate coniuncti. Beatrix de Planissolas castelli domina certe nemini nubit nisi nobili – quod bis evenit –, tamen non dedignatur procuratorem suum amare, postea nothum aliquem duosque parochos. Eadem cum omnibus habet consuetudines, rusticas vicinas familiariter amplectitur, eas colloquens libenter expediculat, ut mos est. Etiam notarius scit manibus laborare neque dedecorum est, si filius eius fit sutor. Ergo non sunt magnæ differentia sociale, etsi aliqua reverentia Beatrici debetur propter nobilitatem, notario sacerdotive propter eruditionem.

Nam hi homines incredibiliter sunt illiterati. Quarto decimo sæculo, in Francogallia, minus duæ centesimæ partes incolarum legere sciunt; regnante Ludovico XIV futuræ sunt viginti duæ. Iohannes pastor, ut alios omittam, nescit nomen gentilicium primæ patronæ suæ, neque quot annos natus laborare inceperit, neque quamdiu apud eam manserit. Ipsa domina castelli neque scit legere neque scribere; filias tamen suas curat erudiendas. Soli, qui libros habeant, sunt sacerdotes, sed videamus quid de eis faciant si in animo habent Inquisitionem fugere una cum amica sua: « Et interim ipse impignoraret¹ aliquem librum vel venderet, vel aliter pecuniam procuraret, cum qua ire possent simul ad Limosum. »² Iidem pæne soli sunt, qui plus minusve sciunt Latine; Bernardus Franca, exempli gratia, qui non solum agricola, sed etiam clericus est, Latinum colloquium valet suscipere: « Et tunc Bernardus Franca et Arnaldus Augerii, qui erant clerici, loquebantur verbis Latinis, et non poterant ipse testis et alii laici intellegere de qua re loquerentur. Et cum sic locuti essent dicti duo in Latino, tunc dictus Bernardus Franca dixit in vulgari duos deos esse, unum benignum et alterum malignum. »³ Ex his verbis

patet differentiam inter linguam Latinam et linguam vulgarem contingere differentiam inter clericos et laicos. Certe non omnes laici sunt omnino rudes, sed ei, qui scribere et legere valent, plerumque dicuntur esse « sine litteris », id est litteris Latinis inopes, sicut Andreas Tavernerii, vir pauper, qui « nescit litteras », et cui pecunia danda est « pro vestibus vel pro libris »⁴. Quid autem Andreas libris egeret nisi legere sciret? Ille vir manifesto aliquam habet eruditionem, at non Latinam.

Sed ergo, nisi legunt, quid hi homines facere solent tempore subsicivo? Colloquuntur. Vicini vicinos adeunt, sedent iuxta focum, cenam una sumunt pane, larido, caseo, caule, nucibus compositam. Vespertina colloquia videntur persæpe spectare ad eam doctrinam, quam episcopus Appamiensis omni conatu vult eradicare. Cathari enim, qui se ipsos vocant « bonos homines », regionem circumambulant, se in domos curant invitandos, rationem suam incolarum animis inculcant. Si sero est, si sævit hiems, iidem apud hospites pernoctant; tum non raro fit ut duo tresve homines in eodem lecto iaceant.

At, interrogabit quis, quomodo hæc omnia episcopo Appamiensi potuerunt subolere? Quomodo scivit a quibus esset confessio potissimum exprimenda? Profecto delationibus, in hac re nihil novi sub sole. Sic Alazaicis, « testis iurata », sponte sua res enarrat, quibus perturbata est: « Ipsa venit in domum Galhardæ uxoris Bernardi Ros, et invenit in dicta domo dictam Galhardam et Guillelmum Autastz, et quandam aliam personam de cuius nomine non recordatur, nec etiam utrum fuerit vir an mulier, et cum fuerunt ibi iuxta ignem, inceperunt loqui de fine mundi et resurrectione futura generali, et tunc videtur ei dictus Guillelmus dixisse gentes esse fatuas quia crederent quodlibet corpus humanum habere propriam animam, quæ anima restitueretur in resurrectione proprio corpori, sed hoc non est, ut dixit, sed quando anima egrediebatur de uno corpore, subingrediebatur aliud corpus, quia, ut dixit, si tot essent animæ humanæ, quot sunt corpora, quam mundus repletus esset animabus humanis! Quæ verba ipsa testis audiens est stupefacta et accepit in brachio dictam Galhardam, et post recessum dicti Guillelmi, iterum accepit eam in dicto brachio, dicens: ‘ Sancta Maria, tam mala verba dixit iste homo!’ Interrogata num dictus Guillelmus duceret bonam vitam, dixit dici a multis eum esse usurarium. Vidit tamen eum accipientem corpus Domini. Interrogata num dictus Guillelmus esset de genere hæretico, dixit sic, quia mater eius et soror mortuæ sunt in muro⁵ Carcassone et sororius eius aufugit pro crimine hære-

sis. Interrogata num prece, pretio, amore, odio instructa vel subornata prædicta deposuisset, respondit non, sed quia ita est veritas. »⁶ Bona Alazaicis, etsi fronte sincera testimonium dicit, tamen facere non potest quin sermoni suo paululum fellis subintroducatur, cum de usuris loquitur.

Ceterum homines in vico Monte Alionis non perpetuo loquuntur « de dicta materia », quam vocant. Iidem vitam agunt cottidianam, sicut omnes, habent sua gaudia, suas difficultates, suas oves⁷ curandas, suos liberos educandos ; amant, lugent, moriuntur. Sicuti nos. Sed tempore, quo equidem vivere noluissem.

Tibi de illo tempore cogitanti prima res, quæ animum offendit, pertinet ad hygienam. Mirabile est quantum in hac re Medium Ævum regressum sit ab antiquorum consuetudinibus. Cum antiquitus ubique fuerint balnea, incolæ Montis Alionis vix lavantur. Unusquisque secum fert, sine ullo pudore, verum exercitum pulicum, pediculorum aliarumque bestiolarum, quarum mutua curatio, sicut apud simios fieri solet, pertinet ad vitam socialem. Unus enim alterum, familiarem, amicum, vicinum cuiuscumque conditionis, libenter expediculat, atque hæc expediculatio præbet occasionem longorum colloquiorum : « Quadam die de qua dixit se non recordari ipsa (Ramunda) loquens in limine portæ Poncii Clerici expediculabat Mengardim uxorem dicti Poncii Clerici, et tunc ipsa loquens dixit dictæ Mengardi : 'Et scisne quid mihi dixerit altera die Ramunda Lozera ?' et ipsa respondit ei : 'Et quid dixit tibi ?' »⁸ Non multum refert scire, quid ista Ramunda illo die dixerit, sed hæc scæna mulierum garrigentium, quam sub oculis pæne habemus, est satis iucunda. Quod ad vestimenta pertinet, accidit ut mutantur et laventur ; at res satis rara, satis notabilis videtur, ut pastor Petrus Maurini inquisitori declaret se camisiam aliquando mutavisse. Nec mortui magis lavantur quam vivi : « In terra illa corpora mortuorum non abluuntur, sed solum aqua spargitur super facies eorum »⁹. Postea defuncti abscinduntur pili et ungues, quibus servatis idem impeditur ne domum relinquens bonam fortunam simul auferat.

Ceterum homines, etsi corporis munditiam non iudicant esse cardinem vitæ socialis, aliquam tamen colunt urbanitatem. Si quis cui obviam it, sive est amicus, sive minus notus, sive inferior sive superior, mos est caput aperire et ad salutandum de scamno surgere. Mulieribus vero talis honor nondum tribuitur ; semel in tota inquisitoris Iacobi Fournier relatione aliquis fertur adveniente femina de sella surrexisse ; sed idem est hæreticus et surgit fugiturus, ne feminina afficiatur impuritia... Præterea singuli similiter salutantur a sin-

gulis, etiam humillimi, ut est pastor Petrus Maurini.

Petrus Maurini, natus circa 1282-1283 (ipse nescit) est filius Ramundi et Alazaidis. Qui sex filios habuerunt et minimum duas filias ; nam in vico Monte Alionis, sicut alibi illis temporibus, in scriptis etiam publicis, solum de pueris fit mentio, at de puellis deque infantibus mortuis tacetur. Itaque verisimile est plures in hac familia fuisse liberos. Pater familias non solum est textor, sed etiam pastor et agricola. Petrus fit pastor, eius frater Guillelmus lignarius. Duodeviginti annos natus, Petrus domum paternam relinquit. Idem eo tempore adhuc est vir pius, qui lanam tonsam dat sancto Antonio et sanctæ Mariæ, parvam partem sibi servaturus. Sed duo Guillelmi, Guillelmus Maurini frater eius et Guillemus Belhot, ei hæreticas persuasiones paulatim insurrant, quibus fiat ut tota miseri Petri vita mox tumultuetur, ut proxima occasione visuri sumus. ❧

1. C. du Fresne Sieur du Cange, *Glossarium mediæ et infimæ Latinitatis*, Parisiis, 1883, impressio anastatica Arnaldo Forni Editore, 1981, IV, p. 308 : « impignorare, oppignerare, pro pignore tradere. »

2. *Le Registre d'Inquisition de Jacques Fournier, évêque de Pamiers (1318-1325)*, manuscrit latin n° 4030 de la Bibliothèque vaticane, édité par Jean Duvernoy, Toulouse, 1965, 3 vol., I, p. 247. Hic quidem locus est ad verbum prolatus. Sed in toto opere, di boni, qualis Latinitas ! Fatendum est tempus Renascentiæ venisse optatissimum : nam operæ pretium fuit Latinitatem severe purgare. Ceteri loci, quos hic proponam, erunt luce grammaticæ quam minimum, sed necessario, mutati, ita tamen ut servetur huius sermonis ingenium coloris plenum.

3. *Op. cit.*, I, 351.

4. *Op. cit.*, II, 416.

5. Sic dicitur de eis, qui sunt in carcere inclusi. Severitas custodiæ variabatur prout hæreticus errorem suum deposuisset ante vel post sententiam prolatam, vel fugere conati erat, vel falsum testimonium dederat.

6. *Op. cit.*, I, 194.

7. Quas inquisitor in relatione sua pæne Francogallice scribens lepide vocat... « mutones ».

8. *Op. cit.*, II, 223.

9. *Op. cit.*, I, 314.

FLOSCVLI ERASMI (VI)

« Plautina anno 1522 »

– quos proponit Alexander Vanautgaerden –

Erasmus Venetiis anno 1508 non diu commoratus est, octo vel novem menses; hæc tamen mansio in humanistæ vita plurimum valuit. Erasmus, cum Aldum Manutium magnum typographum convenit, adhuc est homo ita obscurus, ut suis partim sumptibus lucubrationes suas curare debeat publicandas. Itaque, cum duas Euripidis tragœdias, Hecubam et Iphigeniam, in lucem edi cupiat illis pulchris typis Italicis, Bononia die 28 m. Octobris ad Aldum scribit hæc :

« Neque ego vererer rem meo sumptu meoque periculo moliri, nisi mihi esset intra paucos menses Italia relinquenda. Quare pervelim rem quamprimum absolvi. Est autem vix decem dierum negotium. Quod si modis omnibus postulas ut centum aut ducenta volumina ad me recipiam, tametsi non solet mihi admodum propitius esse Mercurius ille κερδῶος et incommodissimum erit sarcinam transportari, tamen ne id quidem gravabor, modo tu æquum præscribas pretium. Vale, doctissime Alde, et Erasmus in eorum numero ponito qui tibi ex animo bene cupiunt. »

Aldus huic petitioni satisfecit necnon, ut videtur, omnes sumptus ipse suppeditavit. Idem parvula epistula tamquam præmio apposita lectores monuit de Erasmi eximiis laboribus et versionibus, quibus Græca scripta facilius innotescerent.

« Aldus Studiosis. S.

[Desiderius Erasmus] homo et græce et latine doctissimus Hecubam et Iphigeniam in Aulide Euripidis tragœdias carminibus nuper quidem latinis fecit, sed admodum quam fideliter et erudite. Quamobrem curavi eas excudendas characteribus nostris tum doctissimi viri rogatu et amici mei summi, tum quia vobis utilissimum fore existimabam et intelligendis græcis, et interpretandis. Quo fit, ut vobis plurimum gratuler. Deerant olim boni libri. Deerant docti præceptores; eorum enim qui callerent utramque linguam mira paucitas. Nunc est, Deo gratia, et bonorum librorum copia et doctorum tam in Italia, quam extra, ita, ut de conducendo tractet iam rhetore Thule. Non pænitet igitur me magnorum laborum, quos iam multos annos edendis bonis auctoribus vestra et bonarum litterarum causa perfero. Immo plenus gaudii, cur enim dissimulem? Sic mecum sæpe. Eia, Alde, Βάλλ' οὐτως quod si maius quiddam, ut spero, præstare potuero, felices quidem vos eritis, sed feliciores posterius. Ipse autem sublimes feriam sidera vertice. Valet. »

Erasmus Venetias pervenit ineunte anno 1508; ibi

amplius sex menses operam daturus est Adagiis. In aliquo futuro Melissæ fasciculo redibo ad hanc Adagiorum editionem. Nunc autem ea potius memorabo, quæ Erasmus perfecto hoc primo opere in Aldi officina confecit. Per epistulas tunc commutatas scimus eum Aldi rogatu duo manuscripta paravisse de Terentio et Plauto.

Museo autem Erasmi nuper contigit, societatis Amicorum beneficio, Plauti emere Aldinam editionem anno 1522 factam. Operis inspiciamus dedicationem, quam Franciscus Asulanus, Aldi levir, ad Nicolaum Sconbergum archiepiscopum Campanum scripsit. Qui vir Lipsiæ studuerat. Ordinem dominicanorum anno 1497 Florentiæ amplexus est, gradus ecclesiasticæ dignitatis celeriter scandit, complures legationes pro Papa Leone X duxit, anno 1520 factus est Campanus archiepiscopus, anno demum 1535 cardinalis creatus est a Paulo III. Natus erat in urbe Meisen anno 1472; Romæ obiit anno 1537.

Hæc est operis inscriptio :

« Ex Plauti Comoediis xx quarum carmina magna ex parte in mensum suum restituta sunt m.d.xxii.

Index verborum, quibus paulo abstrusioribus Plautus utitur.

Argumenta singularum comoediarum.

Auctoris vita.

Tralatio dictionum græcarum. [Signum] »

Post hæc liminaria invenitur subiuncta epistula, qua monemur præsentem editionem factam esse, e manuscripto ab Aldo maiore et Erasmo olim parato.

FRANCISCI ASVLANI
IN RECOGNITIONEM M. ACCII PLAVTI EPISTOLA AD
NICOLAVM SCONBERGVM
ARCHIEPISCOPVM CAMPANVM.


« Monumentis litterarum proditum est Lycurgum, qui Lacedæmoniis leges admodum salutaris sanxit, cavisse, ne cives sui in theatris spectarent histriones, qui comoedias aut tragedias agerent. Atque sui facti rationem hanc sapientissimus vir afferebat, non decere populum, quem præ aliis excellere volebat laude servandarum legum, assuescere id audire, quod vel ioco, vel serio esset contra leges factum. Contra Athenienses ex hoc maximam gloriam se adipisci putabant, si utriusque rei et inventores et amplificatores haberentur. Itaque theatra, orchestram, scænam magnificentis-

sime extruebant, et magnam insuper pecuniæ vim in eiusmodi ludorum apparatusum elargiebantur. Atque hos nostri Romani, cum aliis multis in rebus, tum in hac potissimum imitati sunt. Existimarunt enim hilaritatem animorum maxime quærendam esse populo omnium gentium victori, idque post bella multa confecta, et imperium omnium prope gentium in Urbe constitutum, morem autem illum Lacedæmoniorum, ut nimis durum nimisque inhumanum repudiarunt, quandoquidem suapte natura se ad leges servandas propensos esse intellegebant. Summam igitur auctoritatem semper tribuerunt Sarsinati Plauto, cum propter incredibilem elegantiam et dicendi puritatem, tum propter festivitatem et singularem in iocis leporem. Et certe illius fabulæ non minus cum agerentur delectarunt cives Romanos, quam cum legerentur, tenuerunt doctissimum quemque. Utinam omnes illas haberemus, aut certe quæ nunc habentur integræ, et suo carminum mensu constantes extarent, recentiores certe illarum enarratores non tam anxie laborarent in quærenda significatione multorum verborum et sententia auctoris, cum emendata lectione et proprietatis et verborum et veri sensus admoneri possent. Verumtamen quanta diligentia fieri potuit Aldus noster et Erasmus Roterodamus illas olim castigarunt, quorum exemplar nos librariis nostris proponentes has xx describendas curavimus, easque sacratissimo nomini tuo dicatas volumus, Archiepiscopo amplissime, ob singularem prædicationem Petri Alcyonii viri clarissimi de tuis virtutibus. Is enim eum te esse affirmabat, qui solus, aut cum paucis, quam recte castigatæ essent, iudicare posses propter summam litterarum græcarum et latinarum peritiam et totius antiquitatis cognitionem. Itaque non solum in editione huius præstantissimi Poetæ nomen tuum celebrari videbis, sed etiam in multis aliis auctoribus græcis et latinis. Qui propediem a nobis excusi emittentur, quoniam illorum dignitatem vel ob singularem tuam doctrinam tueri, vel ob summam auctoritatem amplificare poteris. Vale. »

Petrus Crinitus Florentinus (9 Ian. 1475 - 5 Iul. 1507) Florentiæ in universitate discipulus fuerat Pauli Sassi da Ronciglione et Ugolini Verini et Angeli Politiani. Præcipue nota sunt eius locorum communium collectanea *De honesta disciplina* in scripta, anno 1504 primum edita et postea sæpe reimpressa. Anno autem 1515 Erasmus vehementer vituperavit eius *Vitam Hieronymi*; Crinitum enim habebat pro scriptore inepto imparique Hieronymo, cuius cogitationes intellegere non valeret. Quidquid id est, Crinitus in supradicta Plauti editione hanc divulgavit Plauti vitam :

PLAVTI VITA EX PETRO CRINITO
DE POETIS LATINIS.

« Marcus [sic] Plautus patria Sarsinas fuit ex Umbria, quod ipse de se insinuat in fabula Mostellaria et alii veteres tradunt. Constat eum his temporibus Romæ vixisse atque in scæna præstitisse, quibus in civitate Pub. Scipio, Fulvius nobilior et M. Cato excellentes habiti sunt. Ingenio perurbano fuit, et maxime festivo, quod cum alia multa indicant, tum comœdiæ ipsius plenæ iucunditatis ac leporum. Relata sunt ab A. Gellio complura in Atticis Noctibus de eruditione et fabulis Plautinis ex auctoritate M. Varronis, qui Plautum ait, cum erogasset omnem pecuniam in scænicis ornamentis, ad summam paupertatem fuisse redactum, eaque ratione in Urbem rediisse, et operam pistori locasse ad victum comparandum his molis circumagendis, quas trusatiles vocant, Hieronymus manuales appellavit. Et cum aliquamdiu in pistrino versaretur, ibidem fabulas aliquot dicitur composuisse ut Saturionem et Addictum. M. Varro in libro de Plautinis comœdiis verba hæc posuit, quæ adscribenda existimavi, ut a Gellio est observatum. Feruntur sub Plauti nomine Comœdiæ circiter c et xxx. Sed homo eruditissimus Lælius [sic] xxv dumtaxat illius esse censuit neque dubium est quin ista etiam, quæ a Plauto scripta non sunt, veterum poetarum fuerint, ut M. Accii C. Plautii a quo dictæ sunt Plautianæ fabulæ, non Plautinæ. Ceterum cum xxv a veteribus connumerentur M. Plauti comœdiæ, sciendum est præter illas xx (quæ a nostris grammaticis consensu omnium pro Plautinis habentur) tres a Gellio nominari, hoc est Boethiam, Nervulariam, Fretum. Varro et Sex. Pompeius alias plures nuncupant, ut Artemonem, Frivolariam, Phagonem, Cestriionem, atque Astrabam, easque inter Plautinas referunt. De Astraba tamen Gellius et Nonius dubitarunt. In fabulis suis secutus est græcos auctores, maxime Demophilum, Philemonem, et Epicharmum Siculum, ut Horatius Flaccus testatur, tantumque scribendi elegantia et salibus visus est præstitisse, ut Epicius Stolo affirmare non dubitaverit Musas ipsas Plautino sermone fuisse locuturas, si Latine loqui voluissent. Quod a Fabio Quintiliano refertur. Qui circa Gellius censor optimus omnium scriptorum appellat eundem Plautum parentem ac principem in omni latina elegantia. Volcatius Sedigitus, cum de ordine comicorum scribit, post Cæcilium collocavit Plautum ceterisque omnibus prætulit. Nomen Plauti deductum est a planitie pedum, ut est auctor Sex. Pompeius. Prius enim M. Plotus dicebatur. Hinc semiplotia calceamenta dicta sunt, quibus in



ventionibus uterentur, sed hac de re suo loco diximus. Obiisse traditur paucis annis post Q. Ennium Olympiade centesima xlv. Quantum iacturæ factum sit in eius obitu, testatus est idem poeta his versibus de se compositis.

Postquam est morte captus Plautus
Comœdia luget, scœna est deserta.
Deinde risus, ludus, locusque et numeri
Innumeri simul omnes collacrimarunt.

Sequitur :

TRALATIO DICTIONVM GRÆCARVM

additis translatisque undecim Græcis locutionibus. »

Ad hæc autem alludit Crinitus :

- Gellius III, 3, 10 :

« In eodem libro M. Varronis id quoque scriptum, et Plautium fuisse quempiam poetam comœdiarum ; quoniam fabulæ Plauti inscriptæ forent, acceptas esse quasi Plautinas, cum essent non a Plauto Plautinæ, sed a Plautio Plautianæ. »

- Quintilianus, Inst. X, I, 99-100 :

« In comœdia maxime claudicamus. Licet Varro

Musas, Æli Stilonis sententia, Plautino dicat sermone locuturas fuisse, si Latine loqui vellent, licet Cæcilium veteres laudibus ferant, licet Terenti scripta ad Scipionem Africanum referantur (...), vix levem consequimur umbram, adeo ut mihi sermo ipse Romanus non recipere videatur illam solis concessam Atticis venerem. »

Neque hæc Plauti editio, neque ea Terentii mense Novembri a. 1517 confecta in officina, quam Aldo maiore anno 1515 defuncto iam regebat socer Andreas Asulanus, numeratur inter Erasmi auctorum antiquorum editiones. Attamen et eius et Itolorum testimonia inducunt ut eas operibus Erasmi adnumeremus, etsi ipse neque impressionem curavit neque præparatoria manuscripta ordinavit. Hæc opera videntur homines docti iniurie neglegere.

Nam ecce, inter alia, epistula ab Andrea Asulano anno 1517 scripta, qua patet eum adhuc memoria tenuisse labores novem annis ante una cum Aldo inco-

hatos :
« Nosti enim (nam tu aderas) quantum temporis consumpsit in emendando Terentio Aldus, gener meus suavissimus ac carissimus – quem, quæ illius virtus fuit mirifica, non possum non nominare sine multa præfatione honorum ; quem, inquam, Erasme, quæ illius humanitas fuit, non sine lacrimis semper nomino – : tum in Plauto quanta usus est enim te quasi conglutinatore Latinæ Sirenis. »

Hæc locutio, « conglutinatore Latinæ Sirenis », alludit ad P. Valerium Catonem, qui poesis eximius præceptor fuit, ut Suetonius in opere de Grammaticis (II) memorat :

« Docuit multos et nobiles, visusque est peridoneus præceptor, maxime ad poeticam tendentibus, ut quidem apparere vel his versiculis potest :

Cato grammaticus, Latina Siren,
Qui solus legit ac facit poetas. »

Si Erasmi studia tua intersunt, lector, superest ut Amicis Domus Erasmi adnumereris ; ergo veni ad nos atque, ut Erasmus fere dicere solebat : tam brevi spatio scribitur assignatio argentaria... ❧

DE QVARTO CARMINE BVCOLICO VERGILIANO (II)

- scripsit Iohannes van Kasteel -

IV. VLTIMA CVMÆI VENIT IAM CARMINIS ÆTAS (v. 4)

Eleusina quoque sollempnia originem suam ducunt e Sicilia, quippe ubi Proserpina, Cereris filia, a Plutone rapta est.

In mysteriis Eleusinis enuntiabantur duo verba sacra, quorum alterum erat *plue*, Græce $\tilde{\upsilon}\epsilon$, et alterum *pare*, Græce $\kappa\tilde{\upsilon}\epsilon$.¹

Prius vocabulum alludit ad initium mysteriorum, id est ad generationem.

Ut videtur Antiquis, propter humiditatem spermaticam... $\upsilon\acute{\omicron}\varsigma$, *filius*, nomen suum ducit de verbo $\tilde{\upsilon}\epsilon\iota\nu$, *pluere*.²

Lectori animadvertendum est generationem hominum atque animalium, quæ fieri non potest rore vel pluvia de cælo demissa, tamen pluvia vel rore quodam effici...³

Iam nova progenies cælo demittitur alto (v. 7).

Generatio autem pueri philosophici associatur risui. In traditione hebraica Sarra dicitur risisse *in utero suo*⁴, quod ita explanat philosophus anonymus XVIII s. :

Hoc ænigmā maxime pertinet ad verbum Græcum $\gamma\epsilon\text{-}\lambda\acute{\alpha}\omega$, *rideo*, quod cabalistiche significat $\gamma\acute{\epsilon}\nu\epsilon\sigma\iota\nu$ $\lambda\acute{\alpha}\omega$, *generationem video*... Sarra igitur dicitur *generationem vidisse*.⁵

Concepitque et peperit filium... vocavitque Abraham nomen filii sui quem genuit ei Sarra *Isaac*.⁶

Quod nomen hebraicum significat *risum*. Generatio lapidis quoque philosophici ad risum associatur. Albertus Belinus (XVIII s.) :

Puer eo modo doctus eum facere potest *ridendo*.⁷

Incipe, parve puer, *risu* cognoscere matrem...
Incipe, parve puer : cui non *risere* parentes... (vv. 60 et 62)

Alterum verbum Eleusinum, $\kappa\tilde{\upsilon}\epsilon$, *pare*, alludere videtur ad finem vel perfectionem mysteriorum. Versu 23 memorantur *cunabula* pueri, id est « loca in quibus nascuntur, quasi cynabula ; nam $\kappa\tilde{\upsilon}\epsilon\iota\nu$ est Græce *niti* ». ⁸

Notandum est Poetam in quarto versu non scripsis-

se *Sibyllini* vel *Sibyllæ carminis* neque *antiqui* vel *veteris*, sed « Cumæi », id est oriundi a loco cui nomen Κύμη vel Κύμα , derivatum a verbo $\kappa\tilde{\upsilon}\epsilon\iota\nu$, *parere*. Cumæum igitur carmen spectat ad puerum pariendum, id est ad finem mysteriorum Eleusinorum.

Ultima eodem versu ætas venisse dicitur, quæ etiam pertinet ad finem vel perfectionem.

(Sibylla) sæcula per *metalla* divisit. Dixit etiam quis quo sæculo imperaret, et Solem⁹ ultimum, id est decimum, voluit. Novimus autem eundem esse Apollinem, unde dicit : « Tuus iam regnat Apollo » (v. 10).¹⁰

Nonne Augustus, ille alter Apollo, contendit sibi cometem apparuisse qui, haruspice quodam testante, « significaret exitum noni sæculi et ingressum decimi »¹¹ ? Quam rem Vergilius in nono carmine refert :

Daphni, quid antiquos signorum suspicis ortus ?¹²

Decimum autem sæculum cum sole vel Apolline associatur quia, ut Pythagorici docent, *decas* æquabilis est *unitati*. Quam Veteres pertinere volunt ad solem « quasi solum »¹³, vel Apollinem quasi $\acute{\alpha}\pi\lambda\acute{o}\upsilon\nu$ ¹⁴, *simpli-cem*, et $\acute{\omicron}\tau\iota$ $\mu\acute{o}\nu\omicron\varsigma$ $\acute{\epsilon}\sigma\tau\iota$ $\kappa\alpha\iota$ $\omicron\upsilon\chi\iota$ $\pi\omicron\lambda\lambda\omicron\iota$ ¹⁵, *quia solus est neque multi*. Nonne Apollinis sagitta quoque « una decem vicit »¹⁶ ? Decas autem ipsa cum *decore*, id est perfectione, associatur :

Decorus : perfectus, a decem.¹⁷

Ea de causa, in quarto libro *Aeneidis*, Æneas pulchritudine comparatur Apollini his vocabulis :

... Tantum egregio *decus* enitet ore.¹⁸

Eadem causa, in quinto carmine, Poeta Daphnim, Apollinis vatem defunctum, invocat quasi deum ipsum his verbis :

Tu *decus* omne tuis.¹⁹

Eadem causa, apud Statium in octavo libro *Thebaidis*, post mortem Amphiarei, Apollinis vatis, homines interrogant :

... quo provida laurus transeat atque orbum vittæ *decus*.²⁰

Eadem causa, in quarto carmine bucolico, *decimum*

sæculum his verbis nuntiatur :

... *Decus* hoc ævi te consule inibit,
Pollio, et incipient magni procedere menses (vv. 11-12).

Poeta ipse docet quot sint illi magni menses qui illum magnum annum perficiunt, ita ut decem sæculis assimilari possint :

Matri longa *decem* tulerunt fastidia menses (v. 61).

V. MAGNVS AB INTEGRO SÆCLORVM NASCITUR ORDO (v. 5)

Ordo est versio vocabuli Græci κόσμος. Agitur in hoc versu de nativitate τοῦ μακροῦ κόσμου vel magni mundi, quippe quem Daniel « resurgentem » dicit²¹, Porphyrius autem τὸν γιγνόμενον κόσμον²².

Ut iam vidimus, nativitas magni mundi associatur nativitati pueri, id est parvi mundi. Nonne est « homo, ille parvus mundus, cuius imago est tam similis imagini magni mundi »²³ ?

... Quid mirum, noscere mundum
si possunt homines, quibus est et mundus in ipsis
exemplumque dei quisque est in imagine parva ?²⁴

Homo dicitur parvus mundus quia omnes continet
mundi potestates.²⁵

Quemadmodum puer lapidi comparatur, ita mundus *lapideus* esse dicitur :

Symbolum mundi et potestatum quæ sunt in mundo faciebant theologi antra... quia obscura sunt antra et *lapidea* et humida : talis est mundus propter materiam ex qua compositus est mundus.²⁶

Deinde philosophus dat exemplum compositionis lapidis sui, dicendo : « Sic mundus creatus est », id est lapis noster factus est eodem modo quo mundus creatus est.²⁷

Animadvertite philosophum vocare operationem... « totius mundi », scilicet omnis lapidis qui in hoc mundo inveniri potuit.²⁸

Ea de causa dicit : « Habens tres partes totius mundi », quæ omnes tres continentur in solo lapide, id est in mercurio philosophorum.²⁹

Ostendimus quattuor elementa in lapide nostro esse... Qua de causa dicit Plato : « ... Quamobrem

parvus mundus vocatur, quia ex eo, in eo, cum eo et per eum sunt omnia metalla ».³⁰

In hoc enim lapide quatuor continentur elementa, assimilaturque mundo et mundi compositioni, neque in mundo alius lapis invenitur qui huic assimiletur, in creatione scilicet vel natura.³¹

... Debes intelligere magisterium ad respectum constructionis huius sæculi, videlicet istius magni mundi.³²

Est ergo opus nostrum revera systema maioris mundi.³³

... Artista debet poni in ordine, ad assimilandum suum magisterium ad opus creationis universalis... quia, sicut omnes res fuerunt factæ ex una sola re per potentiam divinam et exierunt ab una massa globosa et confusa per voluntatem miraculosam Dei, sic noster lapis nascitur et exit ab una compacta massa, in qua continentur omnia quatuor elementa cum natura creata, ex qua per voluntatem Dei et operationem naturæ noster lapis postea nascitur.³⁴

Addit Poeta :

Aspice convexo nutantem *pondere* mundum,
terrasque tractusque maris cælumque profundum !
Aspice venturo lætantur ut omnia sæclo (vv. 50-52) !

Nam, ut fert Basilius Valentinus, monachus XVI sæculi :

... In opere nostro naturali *videmus* vitam et mortem, creationem et resurrectionem totius mundi, numeros, mensuras et *pondera*...³⁵

Nam antiquus mundus transiit et novus eius vice acquisitus est.³⁶

VI. IAM REDIT ET VIRGO (v. 6)

Illam virginem, testibus Servio necnon Hygino et Nigidio Figulo, non est nisi Erigone. Ἐριγόνη (Ἐριγόνη) autem est *verigena*, quæ tempore vernali aut gignit aut genita est. *Virgini* semper associatur Mercurius, non solum planeta vel stella errans³⁷, sed spiritus vel subtilis materia errans illius, qui dicitur, mercurii *verigeni*, quo redeunte tria regna naturalia – animale, vegetale, minerale – iterum virescunt.

Non autem tibi ignorandum est naturam vere ineunte, ut ipsa renovetur et ut omnia semina in terra excitet ad vegetandum, imprægnare totum aerem circumterreneum *spiritu mobili* et fermentativo, qui originem suam de Patre naturæ trahit.³⁸

... Illo tempore sapienti alchymistæ obeunda est materia et comprehendenda, ipso momento quo demittitur de cælo et de liquore aereo...³⁹

Aqua mercurialis philosophorum... est virgo alata, pulcherrima...⁴⁰

Aqua ergo... appellatur *Mercurius* Trismegistus... Est avis *Hermetis*, quæ requiescit neque nocte neque die, solum temptando corporari in omnibus locis terrestribus... Appellatur *Virgo*, quia nihil adhuc genuit. Illa est puella Beia, quæ nondum corrupta est nec libertatem suam perdidit nubendo corporibus infirmis et immundis... Illud sidus lucidum, dum libertatem et integritatem conservat, philosophice videtur facere circuitus et conversiones infinitas, donec in quoddam regnum venit. Antea autem nobis sagaciter deprehendendum est neque exspectandum quin in quicquam eorum regnorum intraverit.⁴¹

(Mercurius) est virgo purissima, quæ haud virginitatem suam perdidit...⁴²

Virgo etenim est Mercurius, quia numquam in ventre terræ aliquod corpus metallicum propagavit. Et tamen nobis lapidem generat... Unde nobis puer, hoc est lapis, nascitur... Et permanet virgo Mercurius, sine labe, qualis antea fuerat umquam.⁴³ ❀

1. E. d'Hooghvorst, *op. cit.*, p. 83.

2. Eustathius, *Commentarii ad Homeri Odysseam*, I, Lipsiæ, 1825, p. 9.

3. Anonymus, *Les Mystères du christianisme*, I, Londinii, 1775, p. 141.

4. Cfr. *Genesis*, XVIII, 12.

5. Anonymus, *op. cit.*, I, p. 395.

6. *Genesis*, XXI, 2-3.

7. Dominus Belinus, *Les Aventures du philosophe inconnu*, Parisiis, 1976, p. 199.

8. Servius, *In Vergilii Bucolicum librum commentarius*, IV, 23.

9. Id est aurum.

10. Servius, *op. cit.*, IV, 4.

11. *Ibid.*, IX, 46.

12. Vergilius, *op. cit.*, IX, 46.

13. Isidorus, *Etymologiæ sive origines*, VIII, II, 53.

14. Plato, *Cratylus*, 405c.

15. Macrobius, *Saturnalia*, I, 17, 7.

16. Propertius, *Elegiæ*, IV, 6, 68.

17. Isidorus, *op. cit.*, X, 68.

18. Vergilius, *Æneis*, IV, 150.

19. *Id.*, *Bucolica*, V, 34.

20. Statius, *Thebais*, VIII, 276-277.

21. Daniel, *loc. cit.*

22. Porphyrius, *De Antro Nympharum*, 5.

23. *La Lumière sortant par soi-même des ténèbres*, II, *Chant premier*, 1. Cfr. J.

Mangin de Richebourg, *op. cit.*, II, p. 222.

24. Manilius, *Astronomica*, IV, 893-895.

25. Verba Pythagoræ attributa. Cfr. J. Carcopino, *Virgile et le mystère de la IVe églogue*, Parisiis, 1930, p. 101.

26. Porphyrius, *op. cit.*, 9.

27. Hortulanus, *op. cit.*, XI. Cfr. J. Mangin de Richebourg, *op. cit.*, I, p. 92.

28. *Ibid.*, VI. Cfr. J. Mangin de Richebourg, *op. cit.*, I, p. 90.

29. *Ibid.*, XII. Cfr. J. Mangin de Richebourg, *op. cit.*, I, p. 93. Infra videbimus ex hoc lapide vel mercurio omnia metalla constitui.

30. N. Flamel, *op. cit.*, *Sixième Parole des philosophes*. Cfr. J. Mangin de Richebourg, *op. cit.*, I, p. 451.

31. Morienus, *op. cit.* Cfr. Io. Iacobus Mangetus, *op. cit.*, I, p. 515.

32. R. Lullius, *Testamentum*, I, 76. Cfr. M. Pereira, B. Spaggiari, *op. cit.*, p. 252.

33. Philaletha, *Introitus apertus ad oclusum regis palatium*, VI. Cfr. Io. Iacobus Mangetus, *op. cit.*, II, p. 663; J. Mangin de Richebourg, *op. cit.*, II, p. 312.

34. R. Lullius, *op. cit.*, I, 78. Cfr. M. Pereira, B. Spaggiari, *op. cit.*, p. 256.

35. B. Valentinus, *L'Azoth des philosophes*, I. Cfr. J. Mangin de Richebourg, *op. cit.*, II, p. 82.

36. *Id.*, *Duodecim Claves*, IX. Cfr. Io. Iacobus Mangetus, *op. cit.*, II, p. 420; J. Mangin de Richebourg, *op. cit.*, II, p. 48.

37. Cfr. Porphyrius, *op. cit.*, 22: « Virginem (domum) Mercurii ».

38. L. de Saint-Didier, *Le Triomphe hermétique*, II, *Entretien d'Eudoxe et de Pyrophile*. Cfr. J. Mangin de Richebourg, *op. cit.*, II, p. 175.

39. E. Gobineau de Montluisant, *Énigmes et hiéroglyphes physiques*, III, *Explication*, 10. Cfr. J. Mangin de Richebourg, *op. cit.*, II, pp. 524-525.

40. Dominus A. I. Pernety, *Les Fables égyptiennes et grecques*, I, Parisiis, 1786, p. 539.

41. N. Valois, *Les Cinq Livres*, Parisiis, 1992, pp. 174, 175 et 180. Cfr. E. d'Hooghvorst, *op. cit.*, p. 320.

42. *La Lumière sortant par soi-même des ténèbres*, II, *Chant premier*, 5. Cfr. J. Mangin de Richebourg, *op. cit.*, II, p. 241.

43. M. Ficinus, *op. cit.*, VI. Cfr. Io. Iacobus Mangetus, *op. cit.*, II, p. 173.

IN PERPETVAM MEMORIAM ALBINI P. DOBSEVAGE (1922-2005)

- scripsit Theodericus Sacré -

A miserunt nuper Latinæ litteræ recentiores lectorem assiduam, flet Latinitas viva mortuum cultorem sincerum, singularem, fervidum. Nam Albinum Philippum Dobsevae, *Hermetis Americani* editorem, moderatorem, scriptorem, ante diem IV Kal. Martias in nosocomio quodam Danburiensi Connecticutensium terrenam hanc posuisse vitam nuntiavit nobis Michael Dobsevae, tanti viri filius. Vitam Albinus introiverat Novi Eboraci exeunte mense Novembri anno 1922. Vix litterarum humaniorum studia in gymnasio absolverat, cum totus fere orbis terrarum belli turbine misceri denuo est cœptus. Itaque Albinus dato in militiam nomine in Italia stipendia meruit. Pace facta repetiit intermissa studia litterarum ; qua causa Harvardianam, Parisinam aliasque frequentavit studiorum universitates, philosophiæ inde et Hispanicarum litterarum doctor magistralis renuntiatus. Viro docendi provincia præ ceteris arrisit. Itaque, si paucos eos excipimus annos, cum e doctore orator factus alterius a consule munere est functus Sorbioduni apud Rhodesianos (Zimbabwæ nomen nondum versabatur in usu communi legitime), omnem fere ætatem in institutione exegit ; siquidem qua in gymnasio, qua in altiorum studiorum domicilio Hispanice, Gallice, Latine erudiebat adulescentes et iuvenes ; annos autem triginta apud studiorum universitatem Connecticutensium occidentali publicam docuit. Sive præceptor erat sive doctor academicus, Latinam linguam haud secus ac Gallicam Hispanicamque tradebat : nec puduit virum vivæ Latinitatis.

Ipsam autem ante hos viginti quinque circiter annos per commentarios quosdam primum cognovi, cum seminariis ille Latinis interesset, ego quid ibi actum esset avide legerem : memini me viri photogra-

phemata videre, memini me mirari quod ille egregie saltare diceretur (videtis quam pusilla in memoria interdum hæreant). Deinde factum ut ille commentarios Latinos edendos susciperet, ipse mox in adiutorum turbam nescio quo modo ascisceret. *Hermes* autem *Americanus* (hic commentariis titulus) divulgari est cœptus anno 1983 ; ultimus fasciculus anno nisi fallor 1990 in publicum prodiit. Multa iucunda ibi proposita, carmina optimorum poetarum, ut Iosephi Tusiani, Iohannis Coemgeni Newman, Aritunei Mizuno, Florindi Di Monaco, haicua Henrici Reinhardt, fabulæ, commentationes, mythistoriæ anastatice editæ. Formæ autem et characteres variegabant : alii fasciculi non inculte, alii neglegentius atque humiliter vestiti ex Academia Danburiensi Connecticutensium in publicum procedebant. Nam res ea tempestate parari cœperat ope computatorum priscorum, quæ multum a perfectione tum aberant. Vesti vero ei non dissimilis Latinitas hic emendata, istic tolerabilis, illic incondita vel etiam inquinata. Meum et ceterorum cooperatorem erat viros elicere ad Latine scribendum scriptaque emendare. In plagulis multa corrigenda proponebam ; quæ moderator haud raro neglegebat, tamquam si de minimis non esset curandum prætori ; moram enim omnem increpans cives suos esurientes Latinis cibis, cuiusmodi erant, statim pascere cupiebat. Qua in re laudanda sane viri voluntas, vigor laboriosus, sermonis nostri amor. Quid multa ? Cogitanti mihi de *Hermete Americano* eiusque moderatore, Ciceronis illud in mentem venit : « prima sequentem honestum est in secundis tertiisque consistere ». Nam vivam Albinus Latinitatem, quo tempore apud Americanos Septentrionales iacebat, erigere est conatus ; quam erectam alii deinceps confirmaverunt ; prætor igitur ille, quæ non ultima laus est. Sit ei terra levis.






In hoc fasciculo !

- Salve barbaries !* [G. Licoppe] p. 1
Quid rari agatur in collegio S. Michaelis [G. Licoppe] p. 3
Alaudæ iterum cantant [W. Jenniges] p. 4
Beatrix et eius amici (II) [F. Deraedt] p. 8
Flosculi Erasmi (VI) [A. Vanautgaerden] p. 10
De quarto carmine bucolico Vergiliano (II) [H. van Kasteel] p. 13
In perpetuam memoriam Albini P. Dobsevage [Th. Sacré] p. 16
-

LATINE LOQVI...



SYMPOSIUM SALLENTINVM

instituet Melissa
d. 24-31 m. Iulii a. 2005

Proxima æstate Melissa symposium Latinum in Apulia instituet. Hoc symposio, quod volumus esse iucundum sodalium concilium, participibus dabitur occasio de variis argumentis disputandi, quæ Latinistis cordi esse solent. Eis autem, quibus loquela Latina nondum est consueta, exercitationes Latine loquendi proponentur.

Sallentum autem, cum situm sit in infima orientaliq̄ue extremitate Italiæ, auras et Orientis et Occidentis alternatim accipit. Quare thema generale acroasium et disputationum, quod proponimus, est « De rationibus inter Occidentem et Orientem, a decimo sæculo usque ad duodevicesimum sæculum ».

Pretium

- *inscriptionis* :

- *adultis* : 50 eur.

- *discipulis et studentibus* : 25 eur.

- *pernoctationis* :

- *cum ientaculo, prandio et cena* : 45 eur

- *cum ientaculo et cena (sine prandio)* : 40 eur

Conclavia sunt privatis commoditatibus instructa. Accessus facilis et autocineto et aeroplano et tramine ferroviario.

Qui participare cupiunt nos certiores faciant.

AMICITIA CATHOLICA PRO LATINITATE

In Germania prope Coloniam, d. 24-30 m. Iulii.
✉ dominique.viain@wanadoo.fr

CONVENTICVLVM LEXINTONIANVM

Lexintoniæ in America, a mensis Iulii die 29 usque ad 6 mensis Augusti. ✉ Prof. Terentius Tunberg : clatot@pop.uky.edu

CONVENTICVLVM RVSTICVM

In Civitate Vasintonia d. 24 usque per diem 29 m. Iunii. ✉ http://www.wenval.cc/boreoccidentales/boreo_latin/conventiculum.asp

FERIÆ LATINÆ

In abbatia Sancti Michaelis Ferigoletensis, 28 m. Iulii - 4 m. Augusti. ✉ marie-antoinette.avich@wanadoo.fr

SEMINARIA SOCIETATIS LATINÆ

✉ Morsaci in Helvetia : 24-30 m. Iulii. ✉ in Belgica in abbatia Maretiolensi : 7-13 m. Augusti. ✉ Societas Latina : s.albert@mx.uni-saarland.de

SEPTIMANA AMCENEBVRGENSIS

Latine loqui - Romane coquere. D. 24-30 m. Iulii.
✉ www.septimanalatina.org